



Joh. Frid. Jüttner.
Halle 1850.

Af. 136

Gaffor

M. C. v. L

— OT

Zn Schaffer
verle

Z
CHRISTIANI BREITHAVPTI

ELOQ. ET POES. PROF. PVBL. ORD. ET FACVLT. PHILOS.

SENIORIS

PROGRAMMA

DE

PRÆCIPVIS CAVSSIS,

CVR HODIE ELEGANTIORES LITTERAE
CONTEMTIM HABEANTVR, EARVMQVE
PENITIOR CVLTVRA MVLTIS, QVI ERV-
DITIONIS NOMINE CENSERI CV-
PIVNT, SORDEAT;

LECTIONIBVS HIBERNIS

TAM PVBLICIS QVAM PRIVATIS

ANNO CICIO CC XLVIII.

PRÆMISSVM.

HELMSTADII,
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.

425
425

CHRISTIANVS BREITHAVPT
OMNIBVS
SAPIENTIAE, LVMINIS ET VERITATIS AMANTIEVS

S. D.

Quamuis elegantiores litteræ, sub quo nomine in primis STV-
DIVM ANTIQUITATVM, GRAECAE ET LATINAЕ LINGVAE in-
telligo, iis, qui eruditio[n]is nomine censer[untur] cupiunt, in-
signi s[unt] ornamento: mirari tamen subinde soleo, qui
fiat, vt pulcherrima ha[bit] Musæ tam paucos hodie habeant amasios.
Si munus eccl[esi]asticum, vel ciuile vacat, nuncquam limina patro-
norum a candidatis immunia sunt: si vero officium scholasticum
alicui conferendum est, adeo rari sunt eiusmodi docentes, vt fæpe
ex longe diffitis regionibus, & vltima Siberia euocandi sint. Si in
causas huius mali paullo curatus inquiero, eas duplicitis generis esse
deprehendo. Partim culpa in docentibus, partim in discentibus
residet. Inter illas causas, quæ a docentium culpa originem tra-
hunt, primum ac præcipuum extra controv[er]siam locum obtinet
*Neglectus pietatis, & profanus animus illorum, qui hæc studia pro-
fitentur.* Habent enim hæc litteræ in se aliiquid iucunditatis, quo
animus infecatur, & a Deo abstrahitur. Aptus enim verborum ne-
xus, & periodorum suauissimus orbis, verba ad artem composita
in facultatibus auctoribus magis delicatas eruditorum aures demul-
cent, quam sacrorum scriptorum simplex, & incomum dicendi
genus. Praetare hac de re IACOBVS THOMASIVS (a): *Qui gentilium,
inquit, libros frequenter euolunt, scipiis colorem aliquem profani-
tatis trahunt, vt res maximi miraculi sit in viro eruditio insignis pie-
tas.* Exemplis huius rei, si historiæ litterariae scriptores consulimus,
proh dolor! abundamus. DE ANGELO POLITIANO LUDOVICVS VIVES
refert (b), quod dixerit, *nullum tempus se in omni vita peius con-*
125
sum-

(2)

a) Orat. funebri in honorem Casp. Barthii habita.

b) Lib. II. de vera fide.

sumum estimare, nisi illud, quod bibliis legendis dedisset, politam enim dicendi elegantiam in conto prophetarum sermone infecisse. Similis in loquendo profanitatis etiam rei aguntur PETRVS BEMBVS, DOMITIVS CALDERINVS, aliquique. Quis vero exinde fructus? non alius certe, quam ut eiusmodi ineptiis se Deo & hominibus inuisos reddiderint, & cum imaginaria sua sapientia opprobrium christiani nominis euferint.

Cum neglegentia pietatis plerumque etiam coniuncti sunt *inconditati atque ridiculi mores*. Litteræ elegantiores etiam *humaniora* dicuntur ab humanitate, quia olim creditum est, quod illi, qui hæc studia excolerent, præ ceteris essent prudentes, humani, & omnibus virtutibus dediti. Verum enim vero, si hodie plerorumque illorum, qui has artes excolunt, mores paullisper examinamus, o! quam longe ab huminitate absunt. Omnes quidem ingenii atque doctrinæ sua neruos eo intendent, vt florem studiorum humaniorum promoueant, atque conseruent, ipsi vero in vita communi inelegantes atque inulti, & antiquæ austerioris homines, huic sæculo minime accommodati. Ne quid nunc de intolerabili & ridiculo fastu dicam, quo multi prædicti sunt, qui præ ceteris se in his studiis aliquid egregii præstissime sibi persuadent. EDMVNDS CAMPIANVS, e societate Jesu, tanta erat arrogantia, vt, cum animam ageret, & ab amicis rogaretur, vt preces in lingua vernacula funderet, ipse illorum petitis locum non concederet, sed existimaret, se salutem aeternam facilius consecuturum, si animam suam sermone latino Deo commendaret (c). Taceo in præsenti IOACHIMI FORTII RINGELBERGII, IVLII POMPONII LAETI, & aliorum ridiculos & inconditos mores (d). Iam iudicate ipsi, quicunque hæc legitis, si illi ipsi, qui elegantiores litteras excolunt, tam inficietis & barbaris moribus prædicti sunt, qua existimatio, aut commoda exinde ad studia hæc redundare possint.

Sed incidit iam mihi in mentem adhuc alia cauſa, qua non minus elegantioris literatura pretrum imminuit, quam haec tenus recensita: *ineptum scilicet puto litigandi pruritum de iis potissimum, qua parum habent vilitatis*. Hinc sapientius sit, vt propter unam mo-

c) BECMANNVS de iure idiomatis c. III. sect. 3

d) MELCH. ADAMI in vitis philos. pag. 83. it. GER. IOH. VOSSIVS lib. III. de historicis latinis c. 8.

modo interdum literam tantum bellum grammaticale exoriatur; vt p̄ne crederes, quod de Ilio expugnando & patriæ salute agetur. Tum nullum conitum, aut maledictum excogitari potest, quod alter alteri non tribuat. Quid nostra xatae inter IOH. CLERICVM & PETR. BVRMANNVM actum sit, & quam turpiter se vterque conitiando dederit, nemini nostrum, nisi qui omnium rerum ignarus est, ignorantem esse potest. Salse tamen & graphicè hoc vi-
tium HUMANISTARVM (licet barbara voce in defectu melioris vii) perstrinxit celeberrimus Italus TRAI. BOCCALINI, quando sub specie vera historia ita scribit (e): Gestern Nachmittag wurde in der Grammaticorum ihrem Quartier Sturm geläutet/ diewegen alle Gelehrten sich in aller Eyl dahin verfügeten. Da sie denn gewahr wurden/ daß einige Schulfrüchte einander so hart in die Haare gerathen waren/ daß man sie schwerlich von einander kriegen/ und scheiden konte. Die Uhrsache ihres gezänks war/ ob man das Wort: Consumptum mit einem p., oder ohne denselben schreiben sollte. Apollo wurde darüber sehr unwillig/ dieweil nicht allein die Uhrsache ihres Schulgezänks so gar nichts würdig: sondern/ weil Paulus Manutius, den man für den Nödels- führer hielte/ Lambino seinem aduersario mit einen alten römischen Stein/ darauf Consumptum mit einem p. geschrieben stund/ ins Gesicht geschmissen/ ihm sein Angesicht sehr übel zugerichtet/ und die Nase ganz geschmettert/ und zerknirschet hatte. Ihre Majestät/ welche über das saunische und garstige Leben/ und über die üble Conduite dieser Pedantien sehr erbittert war/ eiferte sich um soviel mehr wegen dieses neuen Excesses/ daß sie auch so gleich dem Gerichts Schülzen anbefohlen ließ/ noch vor Sonnenschein alle diese Kalmäuser mit einander von Parnasso herunter zu jagen. Doch ließ Sie sich endlich durch vieles Vorbitten des Ciceronis und Quintilianii wieder befängtigen/ und Ihnen Gnade wiederaufzufahren. Denn es war ihrer Majestät zu Gemüthe geführet worden/ daß solche Pedanten von hohen und wichtigen Sachen nicht disputiren könnten/ weil sie selbige nicht studiert hätten. Hucusque BOCCALINI.

Non errauero vero, si quoque inter caussas, cur hodie stu-
dium elegantioris literaturæ multis non arrideat, *difficillimam &*
absurdissimam methodum illud docendi referam, quæ in plerisque
scholis usitata est. Methodus hac plerumque in eo consistit, quod
iuvenes vplurimum difficillimo grammatices studio vexentur. Ple-
rique

e) In relationibus ex Parnasso Cent. I. relat. 53.

rique enim huius generis libri nullius sunt pretii. Nam pleraque grammatices elementa latino idiomate conscripta sunt, & tali quidem stilo, quem nec ipse CICERO, si ab inferis rediret, sine interprete intelligeret. Quid vero absurdius, quam linguam latinam addiscere velle e libro latino? quem errorem & nauum etiam celeberrimi nostra aetate elegantiorum litterarum vindices, CHRISTOPH. CELLARIUS & IOACH. LANGIVS probe agnoscentes, grammaticas germanicas ediderunt. Deinde etiam multa grammatica nimis prolixæ sunt, & talia præcepta continent, quæ nullum habent vñum. RENII syntaxis, quæ apud multos hodienum in magno pretio est, ex CLXXXVII. constat regulis, subiectis aliquot centum exceptionibus. Si iam hæc omnia memoria mandanda, quid mirum, si in teneris animis odium atque tedium erga lingua ipsam excitent? accedit hic fere idem, quod in bello vñu venire solet. Si recens conscriptus miles in eo acie loco collocatur, ubi certamen acerrium est, facile ob magnitudinem & insolentiam periculi animum abiicit, nec idoneus est, aduersus hostem arma sumere. Ita etiam litteraria palæstra tirunculi ingentes grammaticorum commentationes aggredi iussi, cogitatione ipsa difficultatis ac laboris examinantur, spemque omnem euadendi statim abiiciunt. Longe itaque alia methodo grammatica docenda, quam quæ hodie in scholis triualibus obtinet: quo de argumento propediem alia occasione, si otium concepsum fuerit, cogitationes meas aperiam.

Satis igitur de caufis neglecta elegantioris literaturæ ex parte docentium. Refraret adhuc, vt etiam de caufis illis dicem, quæ discentium culpæ adscribenda. Pertinet huc primum nimia iuuenum in academiam festinatio, & cæcus parentum amor; deinde, quod studium hoc non ex dignitate sua, sed ex utilitate astimetur. Musæ autem elegantiiores virgines sunt pulcherrimæ quidem, & elegansissimæ, sed indotatae, nec pecuniofæ, aut rei familiaris locupletes. Qui ergo diuitiis inhiant, hæc studia parum cura habent. Accedit, quod plerique cum paupertate confundantur, qui hæc sacra contrectant. Qui illustriori loco nati sunt, harum litterarum culturam in minimis ponunt, & ad grauiora, vt putant, se applicant. Fusus hæc omnia diducere possem, sed cum nimia festinatio, & angustæ huius scriptoris limites hoc iam non permittant, hic hac vice filum abrumpo, & reliqua, quæ adhuc dicenda restant, opportuniiori occasione exponenda referuo.

Atque

Atque hæc de hoc argumento in præsenti breuiter præfari li-
buit. Cum mei officii sit, elegantiores litteras docere, opera mihi
danda, vt labores meos ita instituam, ne cultura huius studii vobis,
COMMILITONES CARISSIMI! difficilis, sed iucunda reddatur, neue o-
dium aduersus hasce Musas, sed potius amor in animis vestris ex-
citetur. Id quod hac ratione me consecuturum esse spero:

In publicis lectionibus ptacepta dabo de Latinis epistolis elegan-
ter conseribendis, & omnia exemplis selectissimis, e PLINIO desumptis,
illustrabo. Elegi potissimum hunc auctorem, quia non solum pro-
pter elegantiam & puritatem præ multis aliis mihi placet, sed etiam,
quia argutus & sententious est, & multa ex antiquitatibus Romanis
atque historia immiscuit, quæ lectionem eius iucundam, & simul
etiam valde utilem reddunt. Scio quidem, multos hanc utilitatem
pro nihilo ducere: sed, qui ita iudicant, mea sententia longe a ve-
ritate absunt. Lechio enim veterum auctorum non ad id tantum
conducit, vt exinde linguam latinam addiscamus, sed plures adhuc
habet usus, auget prudentiam, corrigit mores, & sepe eos in rubo-
rem dat, qui Christi discipline imbuti sunt, si vident, idolorum cul-
tores meliores fuisse seipsis. Quam utilitatem HVGO GROTIUS (at
quantum inter eruditos nomen,) probe agnosces, cum aliquando a
quodam splendidæ dignitatis viro, & suo familiari irridetur, quod
Terentium adhuc legeret, respondit huic breuiter: *Aliter Grotius,*
aliter pueri legunt Terentium.

Lectionibus publicis in Plinum addam priuatas de antiquita-
tibus veteran Germanorum ad ductum C. TACITI lib. de moribus Ger-
manorum. Quantum utilitatis bonarum litterarum cultores, inpri-
mis, qui natione Germani sunt, ex hoc collegio sibi promittere
possint, non opus est, vt fusius referatur. Qui Germanus est, & a-
liorum populorum historiam diligenter perscrutatur, quam maio-
rum suorum, non absimilis mihi videtur illi, qui vicinorum suorum
domicilia perrepat, & in eorum actiones inquirit, cum tamen in æ-
dibus suis sit hospes, & nesciat, quid in iis agatur.

Tertium laborem impendam docende lingua Anglicana, quæ
hodie ob suam utilitatem apud plerosque in tanto pretio est, vt
ferre cum lingua Gallica de principatu certet. Et profecto sane ex-
tant in hac lingua scripta egregia, quibus theologi, medici & phi-
losophi, qui supra vulgus sapere cupiunt, carere non possunt. Qua-
propter neminem huius laboris facile pœnitabit, quem culturæ hu-
ius linguae consecrabit.

Cum

Cum vero etiam mihi in more positum sit, difficiliora facilioribus distinguere, & quæ ardua sunt, & fortasse crucem figurant, iucundioribus temperare, claudet hac vice laborum meorum indicem collegium de *Arte decifratoria*. Barbarum sane, & nostro seculo raro auditum nomen. Ego vero per artem decifratorianam intelligo scientiam, omnes scripturas, occultis & furtiis characteribus inuolutas, soluendi. Concedo quidem, quosdam modos occulte scribendi esse plane indissolubiles: interim tamen, quo usque indecessa & afflita industria peruenire potui, tantos in hac arte feci profectus, (quod tamen præfiscine dixerim) ut non facile aliquis mihi exemplum exhibitus sit, quod non solvere audeam.

Atque haec sunt acroases istæ, quas hoc semestri spatio hiberno in vestrum commodum, **AMICI CARISSIMI**, si eadem etiam vobis placent, habere decreui. Videtis vero ex hac vobis inferiendi alacritate, quantam iniuriam Academia nostra inferant, qui inter caussas, cur eam non frequentent, vtilium collegiorum defectum adducere non erubescunt. Hoc turpisimum & plane impudentissimum mendacium est. Non lectionum academicarum defectu, sed, quod audenter dixerim, pœna abundantia laboramus. Quod vero non semper eas lectiones audire possitis, quas desideratis, huius rei culpa non docentibus vestris, sed vobis ipsis tribuenda. Si semper grati essetis erga doctores vestros, si constantiam & diligentiam in frequentandis lectionibus ostenderetis, omnis sane conquerendi causa cessaret: sed, cum multi ex ordine vefro (nam de omnibus non dico) has humanitatis & boni ordinis leges non obseruent, quid mirum, si aliud vobis eveniat, quam quod speratis. Nam & hic locum habet illud: *Ifrael pernicies tua ex te est*. Ego, qui me penitus vobis & commodis vestris consecravi, spero, ut non in peius interpretaturi sitis, si vos admoneam, ut ab hoc peruerso studio tractandi modo desistatis, & vnicuique disciplina, in primis eleganteribus litteris, qua fundamentum sunt omnium, & sine quibus solida eruditio non datur, iustum statuatis pretium, & vestro exemplo ostendatis, vos ab eorum opinione, qui elegantiiores Musas parum curant, quam longissime abesse. Sentientis successu temporis, me vobis non male consuluisse. Interim valete, & si me audire constituitis, ad me accedite, & de promissis collegiis, die & hora necum deliberate, animique vestri sententiam vberius exponite.

P.P. in Academia IULIA CAROLINA d.V. Octobr.

CCCCXLVIII.

AB 153 258

ULB Halle

003 137 260


3



56.

12





CHRISTIANI BREITHAVPTI

ELOQ. ET POES. PROF. PVBL. ORD. ET FACVLT. PHILOS.

SENIORIS

PROGRAMMA

DE

PRÆCIPVIS CAVSSIS,

CVR HODIE ELEGANTIORES LITTERAE
CONTEMTIM HABEANTVR, EARVMQVE
PENITIOR CVLTVRA MVLTIS, QVI ERV-
DITIONIS NOMINE CENSERI CV-
PIVNT, SORDEAT;

LECTIONIEVS HIBERNIS

TAM PVBLICIS QVAM PRIVATIS

ANNO CICICCC XLVIII.

PRÆMISSVM.

HELMSTADII,

TYPOIS PAVLI DIETERICI SCHNORRIE

ACAD. TYPOGR.